

Prot. n. 47876/13 CA

*Praecepti*

(Rev.da N. – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

## DECRETUM

Rev.da Recurrens, Soror N., professione perpetua Instituto religioso iuris pontificii incorporata est.

Rev.ma Suprema Moderatrix die 24 augusti 2012 Rev.dae N., invocato voto oboedientiae, cessationem a modo refractario sese gerendi et ab excitatione oppositionis adversus decisiones legitimarum Superiorissarum praecepit.

Rev.da Soror, revocatione praecepti frustra postulata, dein ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae provocavit, quae recursum decreto diei 11 aprilis 2013 (prot. n. 23519/2012) reiecit.

Quo decreto die 20 aprilis 2013 intimato, Rev.da N. die 2 maii 2013 recursum ad H.S.T. interposuit.

Quibus praehabitis,

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta.

Praemisso quod actus apud H.S.T. impugnatus est decretum Congregationis, quod praeceptum Supremae Moderatricis confirmavit, recta autem eius interpretatione data.

Quoad assertas violationes legis in procedendo, perspecto quod:

– In casu non requirebatur praevia auditio Consilii Supremae Moderatricis.

– Rev.da Recurrens in recursu hierarchico diei 19 septembris 2012 argumenta defensionis competenti Dicasterio exposuit, quod in decreto diei 11 aprilis 2013 accurate eius obiectionibus respondit.

Quoad assertas violationes legis in decernendo, considerato quod:

– Congregatio expresse statuit Rev. dam N. nec voto activo nec voto passivo privatam (cfr. art. 63 Constitutionum) nec vetitam fuisse participationem «in discussions and discernment regarding decisions for the good of the Institute... cooperating in the implementation of initiatives/activities decided upon for the proper conduct of life, mission and apostolate of the Institute» (cfr. art. 66 Constitutionum).

– Praeceptum, uti Congregatio merito animadvertit, solummodo modum participationis in coadunationibus et discussionibus respicit eiusque emendationem: «demanding a more respectful behavior, understanding and willingness to accept the opinions of others and the decision taken by the Superiors and the community» (cfr. art. 65 Constitutionum).

– Nec praeceptum Supremae Moderatricis nec decretum Congregationis divulgata fuerunt, quam ob rem bona fama illegitime laesa non est.

– Quibus dictis, omissis ceteris forte ad rem animadvertendis, iam satis constat de iusta causa ad impugnatum praeceptum ferendum.

Cum proinde non habeatur ullum indicium de violatione legis in procedendo vel decernendo.

Visis votis Rev.mi Promotoris Iustitiae et Rev.di Promotoris Iustitiae Substituti.

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum cuiusvis fundamenti.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Adversus hoc decretum datur recursus argumentis suffultus ad Congressum intra terminum peremptorium decem dierum ab eodem recepto (cfr. artt. 28, § 1 et 76, § 3 *Legis propriae* Signaturae Apostolicae)<sup>1</sup>.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 17 maii 2013.

+ Franciscus DANEELS, o.praem.  
Archiepiscopus tit. Bitensis  
Secretarius

Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ,  
m.g.  
Moderator Cancellariae

---

<sup>1</sup> Non habetur in casu recursus ad Congressum.